

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

1027

1025

1031

1021

1036

1016

1076

0976

0926

0526

Ende

Anfang

454

emicuit et in splendore Virgo gloria mater Domini dulcissima eis apparuit et, ne a loco tam sancto discederent, praecepit securitateque pollicita mox disparuit. Fratres ergo hac visione consolati ulterius descenderunt, gravis tamen tentatio eos movit metuentes, ne forte phantasma esset, quod viderant. Cum ergo ad locum fontis, ubi tunc aqua nulla erat, venissent, substiterunt ibique Deum devotius exoraverunt, ut, si vera fuisset apparitio, id aliquo signo eis dato ostendere dignaretur. Mira res, mox illis orantibus fons vivus de durissima petra ad latus eorum erupit, ubi prius nec aquae vestigium apparuit, orantesque plurimum laetificavit et a tunc usque in hoc nunc fluere non cessavit: de petra scaturiens ascendentibus montem sive descendantibus multae est consolationis. Signo ergo habito fratres cum laetitia descenderunt et monasterium cum tota circumferentia mundatum a veribus repererunt et non modo procul inde aufugerunt, sed usque in hodiernum diem nequeunt appropinquare loco eidem, et si quandoque serpens ab extra appareat, statim, ut muris appropinquaverat, moritur.

Cum haec a fratre Nicodemo audivissemus, Deum laudavimus et ingressi capellam intemeratam Mariam Virginem salutavimus et indulgentias (†) septennes accepimus dictis antiphonis et versiculis ac collectis in processionali terrae sanctae signatis.

Ab illo demum loco ascenderentes multo cum labore ad arcum venimus lapideum, qui ab uno latere crepidinis usque ad aliud tensus in modum portae curvatur et de magnis quadratis lapidibus vetustissimo opere est factus, nec patet via sursum, nisi per illam portam, quae tamen valvis caret. Ibi certa didicimus narratione, quod nullus Judaeorum hanc potest ingredi portam, et hoc pluries fertur probatum, quia vel terrore vel aliquo miraculo, hic dum venerint, (lb) repelluntur et produntur, etiam si occulite accedere conati fuerunt. Magno enim desiderio aestuant videre locum lationis suae legis, sic ut nos appetimus videre locum crucifixionis nostri legislatoris. Sed sub hac porta subsistunt, rigescunt, tabescunt, contremiscunt et rejiciuntur divino miraculo. Contigit namque ante hos annos, quod quidam Judaeus mutato habitu et dissimulato

